





24-

Pri. 24. num. 33. P. 420

1771, 29.

QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 AN
 MORA PVRGARI POSSIT
 OBLATO PRETIO IN VENDITIO-
 NE SVB PACTO LEGIS COM-
 MISSORIAE.

QVAM
 ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE
 D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
 PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
 ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.

224
9

SOCIO
 IN AVDITORIO PETRINO
 DIE XVIII. SEPTEMBR. ANNO CIOIOCCCLXXI.

DEFENDET
 DANIEL CHRISTOPHOR. WINTRVFF.


VEYDA VARISC.

LIPSIAE
 LITERIS RVMPFIIS.



QUARTSTU
DIESE GUTTE
MORA TARGARI
CANTO IN
AL SVB RACTO
MISSORAS

LENGSTEN
CHRISTIAN
IN
DIE X
DANIEL CHRISTOPH





AN
MORA PURGARI POSSIT
OBLATO PRETIO
IN VENDITIONE SVB PACTO LEGIS
COMMISSORIAE



§. I.

Quod improbavit pactum *commissoriae legis* ipsum ius in pignoribus ob rationem prauitatis *vsurariae*, id ratum contra habuit in venditionibus rerum, si adiciatur partium consensu. Est vero in hoc contractu lex *commissoria* ea conditio, ex qua, pretio in venditione non soluto intra certum tempus ipsa emtio venditioque resoluitur. Hinc venditionem, cui pactum legis *commissoriae* adiectum est, dicunt sub conditione *resolutiua* initam, et recte, quippe, si intra illud tempus, quod soluendo pretio praefinitum est, haud soluat, ipsa venditio non subsistit. Duplex vero ratio est, quae in paciscendo de lege *commissoria* obseruari potest. Aut enim paciscuntur emtor et venditor, vt, *nisi pretium intra definitum tempus soluat, RES SIT INEMTA*, aut conuenerunt inter se, vt *pretio intra definitum tempus non soluto EMTOR AB EMTIONE DISCEDAT*. Sicuti vero diuersitas verborum: vt *res sit inemta*, et vt, *emtor ab emtione discedat*, diuersos producit effectus in



paſto additionis in diem; ita recte concluditur, in hoc paſto noſtro eandem verborum diuerſitatem obſervandam, vt diuerſos producat effectus. Iam vero, ſi paciſcentes vſi ſunt verbis: vt res ſit inempta; conditione exiſtente, ſcil quod pecunia intra definitum tempus ſoluta non ſit, dominium, quod in emptorem tranſierat perfecto contractu re tradita, redit ad venditorem. Contra ſi haec continet verba pactum: vt res reddatur, vel, vt ab emptio- ne diſcedat; conditione exiſtente obligatur tantum emptor ad reſtituendam rem et ſic ad reddendum dominium rei prius emptae. Haec ſatis vulgaria et trita.

§. II.

Dicunt interpretes, venditionem cum lege commiſſoria eſſe venditionem ſub conditione reſolutiva. At haec recte intelligenda ſunt, ne conditionatam putemus venditionem, quippe contrarium adſerit *VLP IANVS* in *L. 1. π. de Leg. Commiſſ.* Ait: *Si fundus commiſſoria lege venierit, magis eſt, vt ſub conditione RESOLVI emptio, quam ſub conditione CONTRAHI videatur.* Videlicet cum conditio euentum contineat, a quo exiſtentia obligationis pendet, hoc de commiſſoria illa lege adſeri nequit, quippe quoad exiſtentiam contractus emptio- nis venditionis perfectus eſt contractus, ſed an duraturus ſit, ex conditione illa commiſſoria pendet, quare vtitur verbis ipſe *VLP IANVS* in *L. 4. π. eod. ET FINITA EST EMTIO.* Perfecta eſt venditio, vt exinde obligatio etiam a parte emptoris exiſtat ad ſolendum pretium, ſed pretio intra tempus non ſoluto, finitur, *emptio*, non aequae tamen *venditio*. Quid? emptio finiatur? non aequae venditio, quae tamen ſine emptio- ne exiſtere nequit? Recte vtique non finitur venditio, quippe aliud ius eſt, quod venditor conſequitur, ſcil petendi pretium aliud, quod in emptorem ex contractu tranſit, ſcil habendi ſibi rem emptam traditam. Hoc ergo ceſſat, non vero alte-


alterum, quod venditoris est, scilicet petendi pretium. Videamus an haec omnia leges comprobent.

§. III.

Adfirmavimus, si lex commissiva est, pretio scilicet intra diem non soluto, emtionem tantum finiri, non aequae venditionem. Probamus ex eo, quod venditori electio competat, utrum exercere velit eam legem, an vero potius suo renunciare juri. Si enim ad illam legem commissoriam respicimus, cuius causa adjecta, facile patet, non emtoris causa, sed solius venditoris gratia adjectum esse venditioni, quare et ipse suo exinde quaesito iure valide renunciare poterit. Adfirmat hoc SCAEVOLA in L. 6. §. 2. π. de lege commiss. verbis ultimis: *venditor legem dictam non exercuisset et partem reliqui debiti accepisset; videri RECESSVM a commissoria.* Adfirmat HERMOGENIANVS in L. 7. eod. verbis: *Legi commissoriae renunciatum videtur.* Patet exinde, electionem competere venditori, ut teste VLPIANO in L. 4. §. 2. π. eod. Eleganter PAPIANVS Libro tertio responsorum scribit: *Statim atque commissu lex est, STATVERE venditorem debere, virum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere: nec posse si commissoriam ELEGIT, postea variare.* Hac ex causa recte VLPIANVS in L. 3. π. eod. statuit: *Legem commissoriam, quae in venditionibus adijcitur, si volet, venditor exercebit: non etiam inuitus.*

§. IV.

Ex his praemissis ipsius propositae quaestionis facilius videtur decisio: *an mora purgari possit oblato pretio in venditione sub pacto legis commissariae.* Si enim teste VLPIANO in L. 4. cit. finita est emtio, consequimur, emptori amplius ius in re vendita competere non posse, simulac lex commissiva est, sed solius tantum venditoris esse electionem. Quo iure ergo oblato pretio post contractam moram, ubi iam finita erat emtio, emtor, qui ideo desuit esse emtor, cogat




venditorem, ut acceptet pretium? Si vero venditor non obligatus est ad accipiendum oblatum illud pretium post moram, dici nullo modo poterit, emtorem moram purgare posse offerendo pretium. Praeterea cum in arbitrio venditoris positum sit, an legem commissoriam exercere velit, facile concluditur, oblato ab emtore pretio posse nihilominus ipsam venditam prius rem, quae vel iam inempta est, vel ad quam retradendam obligatur ex pacto venditor, repetere, nulla ratione habita pretii oblato. Sicut enim teste *Vlpiano in L. 3. cit.* non inuitus exercet legem commissoriam, ita nec cogi potest, ne exercent. Nulla itaque mora purgari potest, sed, ut supra monuimus, eligere potest, an exercere velit legem commissoriam, an eidem renunciare. Rectus ergo est *BOEHMERVS in Intrad. in Ius Digest. L. XVIII. Tit. III. §. 6.* qui putat: *Morae purgationem ante declarationem vix videri admittendam, quia statim res inempta, si verbis directis hoc pactum adiectum est.* Addo: nec rem aliter fore iudicandam licet verba pacti contineant, ut rem reddat, vel ut ab emtione discedat. Si enim obligatus est emtor, vel ad reddendam rem, vel ad recedendum ab emtione, neutra ratione poterit ius habere ad offerendum amplius pretium, simulac contracta mora. Sed quid? Si iure electionis venditor oblatum ab emtore post moram pretium acceptauerit, an emtor moram purgauerit? neque hoc adfirmem, quippe, si mora purganda sit, necesse est, ut offerenti ius competat alterum cogendi, ad accipiendum oblatum pretium, quod nunquam adferendum, cum lex alteri electionem tribuat. Recte ergo dicendum, venditorem renunciaisse legi commissoriae, qua cessante emtor etiam post moram recte ad accipiendum pretium venditorem compellere potest, imo et post moram venditio ac emtio existet, neque dici vnquam poterit, post moram emtoris finitam esse emtione.

§. V.

Quamvis vero haec argumenta ex legibus ipsis utrumque argumentis petita, tamen non defunt, qui moram purgari posse oblato pretio adfirmant, licet adjectum obsit pactum legis commissoriae. Eminent inter hos LUDOVICI *Doctr. Pandect. L. XVIII. T. III. §. 3.*, qui, ut solet plerumque, paradoxis adeo argumentis falsissimas defendit opiniones neglectis ipsis iurium fontibus. Sed recte facit, cum, quid ipsi placeat, dicat, non quod verum putet. Ait: *Adfirmatiua tamen placet* addito acutissimo scilicet argumento: *quia in emphyteuta idem iuris*: Quis vero huius argumenti vim negare audeat? Sane quasi indubitati iuris sit, moram purgari posse in emphyteusi canone per triennium non soluto, si postea canonem offerat emphyteuta. Recte dubitari potest et in hac causa, maxime si argumentis utimur, quibus utebatur HEINECCIUS in *Doctr. Pandect. L. XVIII. §. CCCXXXIII** qui adfirmat ipso iure amittere emphyteutam emphyteusum contracta mora, ut et in hac specie electio maneat emphyteuseos domino, an post moram accipere velit canonem, suoque quod habet, iure expellendi emphyteutam, renunciare. Si enim non soluti intra biennium in ecclesiastica, intra triennium in seculari emphyteusi canonis, sicque morae contractae poena est, amissio emphyteuseos a lege ipsa morae imposita, eam remittet is, cuius gratia illa poena statuta, scilicet emphyteuseos dominus, non vero sibi ipsi poterit remittere emphyteuta, cuius est, pati poenam suae negligentiae. Hoc ergo argumento non uteretur pro confirmanda adfirmatiua sententia, cui supra adducta argumenta contradicunt, posito etiam, non concesso, quod emphyteuta moram purgare posset.

§. VI.



§. VI.

Aliud vero pro adfirmatiua sententia forsitan, et vt videtur grauius argumentum ex ipsis Legibus peti posset. Audiamus *VLPIANVM* in *L. 4. §. 4. π. de Lege commissor.* Scribit: *Marcellus libro vicensimo dubitat, commissoria vtrum tunc locum habet, si interpellatus non soluat, an vero, si non OPTVLERIT et magis arbitror, OFFERRE eum debere, si vult se legis commissoriae potestate soluere.* Expresse vero *ICTUS* tribuit oblationi effectum hunc, vt emtor se soluere possit legis commissoriae potestate. Purgabit itaque offerendo pretium moram, efficietque, vt emta maneat res, vel vt liberetur a restituendi rem necessitate, vtut verba pacti erant. Sed salua res est. Non omnino est sermo de oblatione post moram, sed ea quae ante interpellationem fieri debebat, quae interpellatio moram constituebat. Si enim legis commissoriae liberare potestate offerendo pretium se debet, cum ab arbitrio venditoris pendeat, an interpellare velit emtorem, an vero legem commissoriam exercere, atque si non offerat pretium, periculum sit, fore, vt venditor commissoriam legem exerceat, rectus scripserat *Marcellus, et magis arbitror, offerre eum debere, scilicet, ne non offerendo pretium moram contrahat, resque fiat inemta, vel venditor illius restitutionem postea vrgeat, non interpellando venditorem.* Nam si interpellasset emtorem pretiumque petiisset, teste *HERMOGENIANO* in *L. 6. eod.* legi commissoriae renunciaisset. Quapropter verior sententia videtur, emtorem in emtione sub lege commissoria contracta moram offerendo pretium purgare haud posse.

ULB Halle

3

008 558 760



W 78





24-

Pri. 28. num. 33. 2-4

1771, 29.

QVAESTIO
 IVRIS CONTROVERSI
 AN
 MORA PVRGARI POSSIT
 OBLATO PRETIO IN VENDITIO-
 NE SVB PACTO LEGIS COM-
 MISSORIAE.

9 224.



VEYDA VARISC.

LIPSIÆ
 LITERIS RVMPFIIS.

